



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Christ. Francisci Paullini, Ferrariâ-Thuringi, Rerum Et  
Antiquitatum Germanicarum Syntagma**

**Paullini, Christian Franz**

**Francofvrti ad Moenvm, 1698**

II. Baugolphus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44860**

& doctrinam specialem. Facta igitur est *Fulda* ad similitudinem Monasterii *Cassinensis* quoad formam vivendi, & disciplinæ observantiam regularem. Cumque *S. Bonifacius* in vita sua optaverat, post mortem demum in *Fulda* quiescere, *B. Sturmio* Martyris corpus ex *Phrygia* in Monasterium intulit variis miraculis clarum. (b) Sed bonus Archimandrita in odium pervenit *Pipini* Regis, ut etiam, ex instinctu & invidia *Lulli* Archi-Episcopi, eum ex Monasterio ignominiosè depelleret. Venit in ejus locum *Marcus*, in hujus autem mox è Fratribus *Fuldensibus* *Prezoltus*. Sed hic injuriæ *Sturmioni* à Rege factæ bene memor, id effecit, ut exul ad pristinum reduceretur locum, & duplò magis postea honoratus est ab omnibus. (c) Post mortem enim *Pipini* *Carolus*, nomine & virtute Magnus, *B. Sturmionem* A. D. DCCLIV. ad Saxones misit, quibus verbum Domini magno zelo & animi constantia prædicavit. Hinc *Apostolus* eorum dicitur. (d) Et uti Sanctus Pater optaverat, multos ad justitiam erudire, ita à Domino ei factum est. Ultra quadringentos enim monachos sub se habuit. Moritur A. D. DCCLXXXIX, XVII. Kal. Januar, anno Prælaturæ suæ XXXV.

## II. BAUGOLPHUS.

II. Baugolphus,

Professus *Fuldensis*, pius, doctus & religiosus Pater. Extruxit in monte *S. Petri* novum Monasterium, Rex *Carolus* ei dedit *Eyschellam*. *Hamelburg* quoque *Rosdorf* & *Hünevelta* sibi acquisivit. AD. DCCCII. spontè se abdicat Prælaturâ, & successorem habuit *Ratgarium*, quem ut filium suum educaverat. Vixit adhuc post resignationem XIII. annis, & Monasterio consiliis & operâ adfuit. Moritur AD. DCCCXV. Prælaturæ XXII. Tota congregatio cantabat cursum *S. P. N. Benedicti*. (d) Jacer in monasterio *Baugolphesmonster*.

## III. RATGARIUS.

III. Ratgarius,

*B. Sturmionis* discipulus, natione Germanus, ex honorabili familia, sed infelix Pater. Electus erat concordi omnium beneplacito & consensu, docuerat suos fideliter, & præfuerat hætenus per multos annos. Satanæ autem zizaniam suam sparsit in animos Monachorum, ut toti abalienati ab eo insurgerent, & querelas suas ad *Ludovicum* Regem, quem *Pium* vocant, magno clamore deferrent, donec ab illo AD. DCCCXVII. dignitate & officio suo spoliaretur, & quidem hujus annò XV. Inter alias causas etiam hæc erat,

(Mmm)

quòd

(b) Fabricius in *Gloria Fuldæ* p. 73. ad *Ægilem* hoc refert, (c) legi meretur vita *B. Sturmion*, ab *Ægile* conscripta, aq. *Brovero* edita. (d) conf. *Brover*, L. III. Antiquit. *Fuld.* c. I, seqq. (d) vid. *Lamb. Schafnab*, ad b. a. & *Mar. Scor.* ad eund.